INDEX.

Vinum ex oryza, 32,36,89
Viri celebres, 98
Virginitatis exemplum, 114,138
Visitatores Provinciarum, 10
Virtus Sinarum quale? 6
Virtutes amant Sinæ, vitiis non carent, 8
Vivarium magnificum, 45
Vnionum feras mare, 140
Vrbanitas vaticque Sinarum ricas, 9
Vrbes militares quales, 72
Vrbium numerus, 5
earum descriptio, 12
Uri, 50
Ursorum pedes anteriores in pretio apud Sinas, 48
Uva & vinum, 37
Vultures, 47,72
Vulturis genus audax, 10

X.

XAnghai nobile fortalitium, 36
Xangtung Provinciæ descriptio, 53
Xansi Provinciæ descriptio, 57
Xaobing urbs pulcherrima, 118
Xensi Provinciæ descriptio, 45
Xinnungus agriculturæ auctor, 41
Xinsien homines immortales, 67,123,144
Xuotien urbs regia, 29
ejus longitudo ac altitudo, ibid.
quando ædificata, ibid.
ejus descriptio, 29,30

Y.

YAngçukiang fluminis descriptio, 13
Yupi Tartari, 21

Z.

Zarte M. P. Veneti ubi? 124

DE REGNO CATAYO ADDITAMENTVM.

IACOBVS GOLIVS LECTORI.

VEniam facile dabis, benigne & curiose Lector, quod impletæ eximii operis mensuræ hoc, quod vides, corollarium adjiciatur aliena manu: quippe rem ipsam per se minime alienam esse aut vulgarem, neque, ut spero, lectionis tuæ studio indignam cognosces. Nam quamvis novi Atlantis hujus pagina 3 & 28 luculentis indiciis ostenderit præclarus author, Catayos sive Cathæos, de quibus diu multumque antehac disceptatum fuit, num alicubi terrarum, atque ubinam existant, & celeberrimos Sinas solo duntaxat nomine, sive ejusdem regni populive sedibus differre; unum tamen insuper, quod non levioris sit momenti, exquisitis judiciis desiderari posset argumentum, quo amborum linguam & usitatos maxime ab omni ævo mores etiam convenire perspicuum fiat. Cujus rei simul utriusque exempla evidentia, & indubitata testimonia, ut proferri intelligebat idem Author, haud secus ac nuncio quodam optatissimo mirifice lætatus fuit. Atque inter mirabiles, quos varios expertus esset, casus hoc quoque haud immerito reputare videbatur, quæsitum ad extremos, ubi revera situm erat, Orientis terminos Catayum; in Occidentis parte inde remotissima quasi, non minus certò deprehensum esse fortuito Belgæ congressu, quam susceptis, in eum etiam præcipue finem, peregrinationibus explorari potuisset. Atque hoc ipsum tanti visum fuit, ut omnibus talium rerum studiosis communicandum judicaret: quin si ejus ad ipsum Atlantem accessio fieret, ita illi futurum ornamento, ut & lectori ejusdem peculiari foret usui ac voluptati. Quod cum alienis potius verbis, ceu testimonio quodam, faciendum videretur, & vix alterius quam meis fieri posset, qui & occasionem & materiam non ita obviam mea sponte præbuissem, simulque ad eam, quam excolendam nactus sim, Spartam pertineret; tum ingenuitas ipsa & humanitas, tum veritatis illustrandæ amor non persuaserunt tantum, sed quodam etiam jure suo flagitarunt, ne bono publico tantillum officii denegarem. præsertim postquam ille, qui hoc benevole etiam expeteret, non potiorem modo contulisset partem; sed multa alia quæ scire voluissem, ex eodem rarissimæ scientiæ penu liberaliter mihi impertiisset. Et quis ei rei oportunior poterat concedi locus, ut in territorium suum asseri & postliminio vindicari possent Cathæi, quam ubi totum illud (alio quanquam nomine, ob quod exclusi videantur) limitibus suis & comprehensis partibus accuratissime jam descriptum esset? Hoc itaque quicquid est, ingenuorum æquanimitate fretus, desiderati Atlantis in lucem prodituri syrmati subjungendum permitto. Licet autem fimbriæ velut loco futurum, non purpura vel auro fulgeat, neque ullo artificio constet; non dubito tamen, quin tibi, candide Lector, simplicis materiæ suopte pretio, & vel sola quam ibi spectabis symmetria commendare se & placere possit. Sed rei occasionem ipsam & miri casus historiam paucis prænarrari ante, operæ pretium & forsan non ingratum fuerit.

Cum sub initium proximæ æstatis fama increbuisset, multiplici scientia virum, eaque rara & inaudita, quam inter Sinenses plurium annorum consuetudine acquisivisset, navibus nostris ex India Orientali delatum in hasce venisse oras; equidem videndi ejus & compellandi cupido me haud